



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

14 Illegitimi per subsequens matrimonium excepta Cardinalatus dignitate,
ad omnia habilitantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

mei, minores, à demone obsessi, lymphatici, furiosi, hermaphroditi, servi, infames, & abstemij, sunt irregulares, ut per Navar. eod. cap. 27. num. 202. 203. & 204. & Greg. Sayr. Thesaur. cas. consc. par. 1. lib. 6. cap. 8. num. 1. & 3.

9 Sed modica deformitas, † necessitate exigente, non facit quem irregularem, nec impedit promovendum, d. cap. fin, & ibi gloss. in verb. deformitatem.

10 Quis autem defectus, † aut deformitas talis sit, ut inducet irregularitatem arbitrium Episcopi judicabit. In hoc. in cap. 1. de corp. vitia. Navar. eod. cap. 27. num. 200. vers. quis autem, & Greg. Sayr. cap. 1. nu. 6. infra. eod. lib.

11 Natalium † defectus inducit irregularitatem quocumque modo proveniens, etiam si sit occultus, quales sunt illi, quos conjugati ex adulterijs habuerunt adeo, ut sciant, vel credant, per dictum matris se tales esse, qui legitimisationem secreto modo petere debent, quam de facili obtinebunt.

12 Quamvis matris † adultera, si nolint credere, non teneantur. Navar. eod. cap. 27. num. 201. Et omnes, qui extra legitimum matrimonium procreantur, sunt illegitimi, & tam ad ordines, quam ad beneficia irregulares, cap. cum in cunctis, 5 cap. innotuit, de elect. cap. 1. & cap. fin, de fil. presb. Et est ratio, quia tales, plusquam alij, ut plurimum, † solent esse imitatores paternæ incontinentiæ, & male morigerati, eo, quod à parentibus non ita sollicitè, sicut legitime nati, instruuntur, cap. si gens, 56. dist. & Gregor. Sayr. Thesaur. cas. consc. par. 1. lib. 6. cap. 10.

13 Legitimati † autem per subsequens

matrimonium, eo ipso, absque ulla dispensatione possunt ad omnes ordines promoveri; & beneficia ecclesiastica, ac dignitates quascunque etiam obtinere, gloss. in cap. tanta, in verb. legitimum, & in cap. ex tenore, in verb. legitimum, & ibi Abb. nu. 8. qui fil. fin. leg. excepta tamen Cardinalatus dignitate, ad quam per subsequens matrimonium nullus legitimitur, ut in constit. Sixti Quinti super Cardinalium creandorum numero, ordine, aetate, tempore, qualitate, & officio, de anno 1586. edita, in ultim. par. Bull. ejusdem Sixti capit. 50. & post Henric. lib. 1. de sacramen. matrim. capit. 20. §. 1. tenet Gregor. Sayr. eodem cap. 10. num. 13. & 14. & potest tamen Papa dispensare.

14 Anima † defectus, quo tertia species irregularitatis procedit, consistit in eo, qui non est baptizatus, qui est incapax ordinis, cap. 1. & cap. veniens, de presb. non baptiz. quamvis sit catechumenus. Quia character ordinis præsupponit characterem baptismi: neque hæreticus, aut factor hæreticorum ordinatur, neque sarracenus, aut judæus, aut paganus, aut neophitus, sive recenter conversus. Navar. eod. cap. 27. num. 205. vers. tertio dico, & Greg. Sayr. cap. 19. nu. 1. lib. 6.

Illitteratus, † penitusque ignarus litterarum, est irregularis, & inhabilis, etiam ad primam tonsuram, & quatuor minores ordines, concil. Trident. in cap. 4. & cap. 11. de reformat. sess. 23. & faciunt tradita per Navar. in cap. si quando, excep. 13. num. 2. & 3. de rescript.

Irregularitas, † etiam incurritur ex defectu perfectæ leuitatis, quæ oritur ex occasione, vel mutilatione membri hominis in casu licito: ita ut quicumq; justè, &